

AUGUSTUS HAURY

ORATIONEM PRO MVRENA NONNIHIL IVRIS ROMANI  
SCIENTIAE ETIAMNVNC CONFERRE POSSE

Sodalis noster Burdigalensis idemque patronus, cui Iacobo Vi-dalin nomen est, dum defensionem Murenae perfectis codicibus plurimis, ne dicam omnibus, diligentissime scrutatur, lectiones interpretationesque nonnullas aut emendauit aut refutauit et nouas probabilioresque protulit.

Has neque illi hoc praesertim anni tempore uos coram edocere licet nec mihi enumerare, quia opus in manibus habet. Peccatum tamen fuisse me arbitratus sum, si uiros iuris Romani ac Tulliani causa in Vrbe congregatos non certiores facerem quae nunc in Vniuersitate Burdigalensi ad commune opus conferrentur.

Ille igitur codicem millesimum quingentesimum sexagesimum quartum (1564) Bibliotheca Publica Parisiensi nuper acquisitum summa cura inspexit. Quo codice, eorum qui supersunt fortasse ueterrimo, nemo usus erat, ex eo nouas aliquot lectiones deprompsit. Velut in § uicesimo quinto haec legimus: *Itaque irati illi (scil. iurisconsulti) quia sunt ueriti ne dierum ratione peruolgata et cognita sine sua opera eligere (scil. litigatores) possent, notas quasdam composuerunt, ut omnibus in rebus ipsi interessent.*

Quatuor alii codices hanc lectionem, quanquam mendose, commendare uidentur. Erat autem ab Halmio sententia illa sic edita: ... *ne sine sua opera lege agi posset uel lege agere possent, uerba quaedam composuerunt.*

Quam uocem *notas* Sodalis noster sic intelligit ut a *formulis* differant, quemadmodum in Gallorum lingua *formulaire* a *formule*. Formulae enim aliquid certi certis uerbis significant quibus in iure uti necesse est ut agere possis: etenim ex ipsa lege depromuntur. Notae autem latius patent, quales Valerius Probus scripsit, et materiam non iuris solum sed aliarum etiam artium tractant. Sic illa

uox notissima, *ex iure Quiritium*, non ex aliqua formula, sed *ex ipsis notis iurisconsultorum sumpta est.*

Multa praeterea, uelut de conserenda manu, id est de consensu litigatorum, noua et, ut opinor, animaduersione digna passim reperientur.

Quos libellos Sodalis noster ius dissentium causa in Vniuersitate nostra edidit, eos Moderatoribus huius Colloquii tradidi, ut qui uellent otiose legere possent. Fortasse errata aliquot animaduertent quae propediem emendabuntur.

Gratias plurimas, Doctissimi Viri, illius uerbis meisque uobis ago. Dixi.